ORATIO DE VITA ET OBITU ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, D. IOACHIMI, SECUNDI, ...

Christoph Corner



ORATIO DE ILLV-
STRISSIMO ET AMPLISSIMO Principe ac Domino, D. Ioachimo Secundo, Marchione Brandeburgensi, Romani Imperij Septemuiro, Duce Prussiæ, Stetini &c. habita à Christophoro Cornero ad Academiam Francophordianam, ipsi hac vita feliciter functo parentantem.



Iuino'ne consilio, an culpa nostra accidat, vt sit nescia mens hominum fati, sortisq; futuræ, à sapientibus interdum quæri solet. Etsi enim misera est conditio mortalium: estq; ipsorum vita multis, magnis, varijs & subitis casibus exposita: hoc tamen iudico malum non parum augeri infirmitate nostra, & inscitia eorum, quæ nobis in hoc curriculo vitæ, vel diuinitus, vel casu euentura videntur. Persuadent autem sibi boni & docti, ipsum Deum hanc certorum euentuum præscientiam atq; præuisionem, vt singulare priuilegium sibi reseruasse, & certis de causis nolle eam cum hominibus comunem habere: propterea quòd longè maior omnium rerum, consiliorum & actionum confusio, quàm modo est, pluresq; afflictiones & animorum cruciatus secuturi

sint, si omnes futuri euentus atq; casus, vel mente cõprehensi, vel quasi ante oculos positi habeantur. Sed nos hanc benignæ Dei voluntati scientiam æquis animis relinquamus: ac rogemus eum, vt regat atq; gubernet nos, vt omnes etiam non præuisos casus, & res aduersas moderatè atq; patienter feramus: neq; in rerum bonarum felici successu efferamur: neq; in afflicta, parumq; grata fortuna despondeamus animum: quod etiam, vt hoc tẽporis momento, et deinceps benigniter nobis conferatur optandum est seriò: & vt id à Deo nostro precemur, cum plurimi & tristissimi omnium temporum, tum varij nostri casus monere nos debent. Videmus enim & experimur vsu venire, vt nunc cum valde beati & felices iudicamur, subitum aliquod & inexpectatum infortunium felicitatem hanc nostram misere affligat, turbet atq; euertat: nunc quoq; cum aliquem malorum finem cupidè expectamus, vt grauius adhuc aliud & acerbius accedat malum, & prioribus adijciatur, nobisq; spem omnem atq; expectationem meliorum conditionum in hac erumnosa vita, & affecto rerum statu penitus adimat.

Hæc verè à me dici, si vnquam ante hac, nostro certè nouoq; incommodo, & deploranda calamitate omnes hodie discimus. Quid enim nobis in hac communi miseria tristius accidere? quid etiam vehementius animos nostros affligere, excruciareq; potuit, quã quòd paucis ab hinc diebus acerbissimum accepimus nuncium, de optimi Principis nostri, & communis huius pa-

ius patriæ gubernatoris laudatissimi insperata & subita morte, & ex hac vita in aliã, melioremq́ migrationē? Quo certe nuncio, qui non in hac ciuium societate mirifice terretur & luget, is mihi non videtur illum suum & diuinitus datum, & nunc ademptum nobis magistratum, quo decet amore & animi reuerentia complexus esse: neq́ etiam intelligere aut prospicere, quantum pariat, secumq́ adferat incommodorum magni alicuius principis repentinus & non opinatus interitus. Punit certè Deus iustus delicta hominum cum multis alijs modis & rationibus, tum vero in primis boni gubernatoris ex hac vita euocatione. Huius enim sapientia, industria, consilijs atq́ beneficijs cum nauicula aliqua, vel respublica fruitur, minus ipsi periculorum etiam in summis tempestatibus est timendum: & accedunt ardentes piorum coniunctæq́ preces, quibus sæpe impendentia, aut præsentia mala, placata ira Dei vel remorantur & impediuntur, vel mitigantur, aut penitus auferũtur: vbi vero fideles & præstantes duces è medio tolluntur, quàm sub multis motibus & agitationum fluctibus nauiculam iactari, periclitariq́, & in quàm varia discrimina subditos ferri & præcipites dari, necesse sit, quis est, quem non multa omnium ætatum exempla, & communis vitæ vsus & experientia doceat?

Atq́ vt ad nos propius accedamus, mihi sanè prudentes atq́ sapientes viri rectè videntur sic iudicare atq́ sentire: quamuis hæ prouinciæ multis iam vndiq́ malis sint circumdatæ, & tantis premantur

obrutæq; sint difficultatibus, & incommodis, vt inde emergere, & ad tutum aliquem portum humanis consilijs peruenire difficulter possint: hoc tamen principe saluo ipsas optima adhuc sperare posse, aut in grauiores miserias ruituras non esse: ipso autem extincto bonam felicitatis partem simul ipsis ademptum, deletumq; iri: ac propterea optandum atq; orandum esse, vt principes senes longo vsu rerum præditi, moderati, longanimes & sapientes diu sint incolumes: vt cum ipsis in hoc exulceratissimo seculo, respublicæ si non magnopere quidem floreant, vtcunq; tamen esse, viuere & vltimam liberationem placide, cupideq; expectare possint. Nam si quis in hac mundi malitia, qua omnia in deterius abeunt, meliores vel gubernatores, vel administrationes sibi pollicetur, toto is errat cœlo: neq; mundi nostri peccatis secundiores cursus deberi, aut dari posse, quis non intelligat? Habet quidem nunc Marchia hæc alium principem optimo patri succedentem, filium præstantissimum, de quo merito ipsa nunc optat & sperat summa: sed is certe hoc est benignior & fortunatior futurus suis, quo maior in ipsis pietatis & recti studium deprehendetur: & agnoscit ipse princeps, se per ætatem ab illa patris sapientia non nihil abesse: & fatetur se morte eius maximam sui partem amisisse. Ac propterea ipsi nunc procul prospicienti, & in omnes partes amplissimæ gubernationis conuertenti oculos, præsentes futurasq; difficultates recta via consideranti, quid animi esse, quantam sollicitudinem, quantum mœrorem & luctum carissimi patris obitum attulisse putatis?

Neq; luget ipse solus, sed doloris communis sociam

ciam quoq; habet nobilißimã Dominam, Regis Polonici filiam, matrem, quæ nunc plorans ſuam ipſius affectam valetudinem multò fert moderatius, quàm mortui Domini deſiderium. Dici non poteſt, quantum nunc vulnus acceperint mortui patris tres filiæ, & Heroinæ: ſed inter eas Elizabeta cùm marito carißimo, Principe Luneburgico, non multò poſt nuptias celebratas priuata eſſet, in aulã patris reuerſa viduitatis ſuæ moleſtias aliquandiu patiẽter tulit: nunc quoq; ſe paterno deſtitutam præſidio, cum reliquis duabus ſororibus merito dolet atq; luget. Neq; in minore ſunt luctu frater & nepos Principes: Tota quoq; nunc luget Marchiæ ciuitas: luget communis patria: conficiuntur dolore mentis optimi proceres, familiares Principis, & nos quoq; ipſi plurimis ab ipſo viuo beneficijs affecti.

Agnoſcunt deniq; omnes ſubditi, ſe cum ipſum viuum amarint, & honore debito ſemper ſint proſecuti, nunc aliquam mœroris ſui declarationem, & gratitudinis teſtimonium defuncto patri & Domino debere.

Exiſtimo itaq; vos hoc potißimum nomine in ſacrum hunc locum tam frequentes confluxiſſe, vt veſtri quoq; doloris & iudicij de mortuo principe ſignificationem aliquam edatis: vos mutuis ſermonibus conſolemini: pijs votis atq; precibus ſalutem Marchiæ propicio Deo commendetis, & vt aliquid quoq; de tanti herois vita, virtutibus, rebus geſtis, & beneficijs publice audiatis. Mihi quidem ſunt datæ partes, vt vltimi

vt vltimi huius voti oratione aliqua vos compotes faciam. Sed fateri cogor, me hoc tristi casu, ita quoque consternatum esse, vt in communi luctu maiore animo reliquis esse non possim, & verear ne in ipso orationis cursu deficiam. Agnosco tamen me ad hoc vltimum gratitudinis officium beneficentissimo principi deuinctum esse, vt me ipsum nunc vincam & erigam, & qualicunque oratione capita quædam historiæ vitæ & mortis eius percenseam potius, quàm explicem: Vos autem omnes, vt me humaniter & placidè audiatis, & meo & publico nomine amanter peto.

Cum enim Ioachimus princeps, præstanti indole & generosa natura adolescens sciret aliquando futurum, vt ipse maior natu, seni patri in ampla & laboriosa gubernatione virtute & opera sua adesset, & ipsi voluntate Dei extincto succederet, sapienter iudicauit de patris & præceptorum sententia & consilio: ad tales prouincias non tantum ingenij bonitatem, iudicium excellens & animum heroicum adferendum esse: sed opus esse quoque futuro gubernatori doctrinarum, & multarum rerum in politia vsu cognitarum, & historiarum adminiculis atque ornamentis: neque sine illis administrationem vllam fortunatã, rectam et splendidam esse posse: neque esse quicquam in tota vita magis necessarium, quàm literarum cognitionem: Ideo cœpit bonas & primas artes mediocri studio degustare, & cum illis latinorum scriptorum & loquẽdi exercitium coniungere: his sacrarum & prophanarum historiarum pertractationem addere: quæ bona postea

vsus

vſus dicendi, negotiorum varietas & ætas accedens non parum auxerunt & excoluerunt: eiq; tam fuerunt grata, vt inuitus audierit eos, qui per contemptum literarum ipſum ad res alias ludicras, & principi viro parum commodi laudiſq; adferentes, conabantur auocare. Hæc ipſius ſtudia non parum accendebat tunc nobilis & eruditus, adoleſcens Euſtathius à Schlieuen, qui cum ipſo familiariter vixit, & in rectis ſtudijs ſuccreuit: atq; hac de cauſa ad ſplendidam dignitatem fortunamque ab ipſo euectus, eiq; cariſsimus ſemper fuit: qui ipſum quoq; anno ſuperiore decedens, præceſsit.

Solebat quoq; ipſum cũ fratre Ioanne Marchione, adhuc gratia Dei ſuperſtite, pater ad arduas atq; difficiles deliberationes & cauſarũ cognitiones prudenti conſilio maturè adhibere: vt de illis graues & diſertos viros eorumquè ſentẽtias & iudicia audirent, et quaſi ludentes iuuenes aſsueſcerẽt negotijs aulicis & laboribus gubernationis, & facultatem atq; vſum iudicandi de illis videndiquè, quid æquum & iuſtum eſſet, compararent: & ita ſeſe ad futuros caſus, negotia & labores prætorios atq; conſulares egregiè inſtruerent. Quæ res quam feliciter ipſis ſucceſſerint, dicent ij & atteſtabuntur, quibus eorum ingenia, iudicij dexteritas, vſus rerum, ſapientia & eloquentia ex multis congreſsibus & actionibus nota perſpectaquè ſunt. His autem in ſtudijs ita duo fratres ſuccreuerunt, vt tamen ea venationibus & alijs progymnaſmatis & exercitijs à Principis viri moribus non alienis ſubinde miſcerẽt atq; condirent: & ad maiorem alacritatem

obeundi negotia ſeſe excitarent, confirmarentque. Adultiores poſtea facti patrem ipſi ſuum multis laboribus, moleſtijs & profectionibus ſæpe leuarunt: ac potiſsimum Princeps noſter, ab anno decimo nono, quo Imperij Romani gubernacula ad Carolum V. delata ſunt, nunc cum patre, nunc ſolus miſſus, ad comitia Imperij ſemper profectus eſt: ibique ſapiētiſsimos heroas de maximis negotijs & imperij ſtatu, ſaluteq; diſſerentes et conſultantes audiuit, ſuisque conſilijs inclinantem eius ſtatum erigere, aut ſaltem fulcire ſtuduit. Pro ætate deniq; ambo fratres ſeſe ita geſſerunt, vt appareret eos nihil aliud velle, quàm primū Deo Opt. Max. multa grata dicere & facere: deinde communis patriæ ſaluti pro virili ſua & ætatum donis conſulere.

Poſtquam verò Princeps noſter peruenit ad annum ætatis triceſimum, diſceſsit ex hac vita pater Ioachimus primus: & Electoratus Imperij Romani dignitas iure ſucceſsionis, & habenæ gubernationis ipſi datæ conceſsæq; ſunt. Tunc primum ſuorū ſtudiorum, vſus, & exercitiorum iuuentutis cœpit vberrimos & ſuauiſsimos fructus: & eò faciliora ipſi fuerunt initia, quæ plerunq; difficultatis plurimum habere ſolent: quo is maiorem aulæ peritiam & politicarum controuerſiarum cum iudicij, dicendique facultate ad imperium attulit. Cum vero regiones & ciuitates, quæ teſtamento patris ad Electoris dignitatem & amplitudinem adiectæ erant, in ſuam fidem recepiſset, & iam magiſtratus à Deo ordinatus agnoſceretur, fuit ei prima omnium cura, quam ad rerum gubernacula ſedentes, Deo

tes, Deo conditori & saluatori nostro debent: religionis repurgandæ & ecclesiarum ex verbo Dei rectè constituendarum. Fuerant autem diu in Marchiacis ecclesijs horrendæ tenebræ in doctrina, horribiles fœdiq; errores in cultibus, & omnia erant plena caliginis, idolatriæ, tetrorum abusuum & blasphemiarum: quæ etsi videbat, agnoscebat & detestabatur ipse: non tamen prius ad illa corrigenda, tollendaquè animũ adijcere viuo patre papisticis superstitionibus nimium tribuente, potuit, quàm ipse ad integram Marchiæ huius administrationem venisset. Difficulter enim adducebantur senes Principes, vt nostis, & multis exemplis doceri posset, vt receptos ritus atq; cultus, qui in ecclesia Romana ad annos multos durauerant, desererent, aut corrigi, immutariquè sinerent. Interim vero ipse nullam occasionem legendi scripta Apostolorum & Lutheri, cognoscendæ doctrinæ sanæ, quamuis multis tunc Heroibus ignotæ & inuisæ, negligebat: quorum etiam lectione seria, & vero zelo benignitate Dei ad veram diuinæ voluntatis, & rectorum cultuum cognitionem perueniebat: Neq; dubitabat subinde Lutherum de arduis & intricatis quæstionibus consulere.

Cum ergò scripturæ autoritate & testimonijs doceretur ad Principum bonorum officium pertinere, summam gerere curam ornandæ, celebrandæq; gloriæ Dei, tradendæ & tuendæ agnitionis rectæ, conseruandæ religionis doctrinæ, & prohibendorum cultuum Idolatricorum, nihil fecit prius, quàm vt conuocatis

pijs & doctis aliquot viris, cum ipsis de doctrinæ puritate in Marchiæ ecclesijs ferenda, tradenda & confirmanda, deq; abusibus tollendis iniret consilium: & in hoc pietatis studio atq; labore, alijs qui in illo primas ferebant laudes aut par, aut non multò inferior haberetur. Curauit autem primum conscribendam reformationis & doctrinæ in ecclesijs proponendæ, cultuum & rituum seruandorum formulam: quam ipse præfatione sua ornata, eruditionis atq; piorum motuum plena, ecclesiarum ministris diligenter commendauit: & à reuerendis viris Luthero, Melanthone & Vrbano Regio approbatam in publicū dedit: eamq; voluit esse exemplum doctrinæ atq; cultuum perpetuò & religiose in Marchiæ ecclesijs seruandorum.

Sciebat quoq; veteri more semper ecclesijs piè riteq; ordinatis scholas et Academias adiunctas fuisse. Non erat ipsi ignotum, à Mose fuisse constitutum, vt ad tabernaculum semper essent cœtus docentium & discentium. Non ignorabat Eliæ, Elisei, Iesaiæ, Danielis, Esdræ, Nehemiæ & quæ postea secuta sunt, Ioannis, Polycarpi & Clementis exempla: ij semper scholasticos cœtus aluerunt, docuerunt, & in præclaris studijs ad ecclesiarum ministerium, ad doctrinæ purioris conseruationē & propagationem exercuerunt: repetebat quoq; memoria insignia Regum Iosophat, Ezechiæ, Iosiæ, Hebræorum, & Christianorum Principum Theodosij, Constantini, Caroli magni & aliorum facta, in quibus nouit præcipuā fuisse curam tuendæ religionis veræ & ornandarum scholarum: Id-

circo

circo magnopere probabat optimi patris sui consilium & institutum, quòd altero anno post, quàm ipse in hanc lucem esset editus, exemplo aliorum Imperij Romani Septemuirorum & potentiorũ Principum, hanc nostram Academiam & illustre Musarum, rectorumq; studiorum domicilium instituisset, priuilegijsq; munitum mediocribus redditibus donasset: Ipse vero postea, vt æternum suæ erga liberales artes, earumq; professores, & ecclesiam testimonium relinqueret, non dubitauit quædam Canonicorum & Monachorum collegia, in quibus homines ignaui, indocti, hostes euangelicæ veritatis, impuri & idelolatræ alebantur, occupare: & aliquam redditũum partem ad ecclesias, priuatasq; scholas conferre: aliquam vero eamquè non minimam huic suæ Academiæ benigniter donare: & aucto numero doctorum liberalia & honorifica ipsis stipendia cõstituere: quod factum memorabile, commendatione dignum Carolus Imperator, qui bona ecclesiarum auferri, & ad prophanos vsus conuerti indignißime ferebat, magnopere probasse, laudasseq; dicitur.

Vt quoq; Academiæ nostræ, doctorum quorundam opera reformatæ, instauratis studiorum exercitijs, plus ornamenti & dignitatis accederet, visum fuit, illustrißimos principes, filios suos Ioannem Georgium, nunc Electorem nostrum, & Fridericum, vnà cum Ioanne Alberto Megapolensium præstantißimo Duce in eam mittere, & VVillichio, Sabino, & alijs erudiendos cõmittere. Voluit enim carißimos filios,

 quos se

quos se hæredes imperij sui relicturum esse sperabat, liberaliter institui, & ad futuras gubernationes doctrina, & virtutibus præparari: & tales aliquando euadere, qui inter Imperij Romani proceres maiorem eruditionis & sapientiæ veræ, quàm amplarum possessionum laudem ferre: & qui non à clarissimis patrum suorum studijs et factis viderentur degenerasse. Notum est namq; ex Imperij annalibus, Ioachimum patrem duabus virtutibus, prudentia in consilijs, & eloquentia in sermone valde excelluisse. Nam cum quinquennio ante, quàm est mortuus, in conuentu Augustano Liburnis à Romano Imperatore, eiusquè Senatu contra Turcarum vim atq; sæuitiam auxilia petentibus, communi nomine responsum esset dandum, commissæ sunt illæ partes ipsi: qui fertur latina oratione locupletissima, ita tunc respondisse, & Jmperatoris atq; Principum voluntatem exposuisse, vt omnium principum & statuum admirationem & laudem meruerit. Neq; minor fuit eruditio & facundia in principe nostro: qui literarũ liberaliumquè studiorum dignitatem & vsus in omni vita necessarios intelligebat: ad ea filios suos exhortabatur: & quo maiore amore artes complectebatur bonas: hoc quoq; amplioribus præmijs suorum filiorum doctores optimos, & Academiæ professores iuuandos atq; ornandos esse censuit.

Doctrinam religionis Christianæ non primis tantum vt dicitur, labris degustauerat: sed solidam ipsius cognitionem assecutus erat. Ac meminerunt quidam,

eum ali-

eum aliquando gloriatum esse, se cum Islebio inter primos Lutheri discipulos fuisse: primosquè doctrinam Pauli cum paucis alijs, de iustificatione rectè intellexisse. Ea de causa, qui ipsum de hoc scripturæ capite, quauis occasione, etiam ex tempore doctissime disserentem, disputantēquè audiuerunt, non possunt non ipsi hanc cognitionis laudem & veritatis testimoniū tribuere. Ac nisi eum præcipui in Marchia Theologi cum alias sæpe, tum vero in aliquot splendidissimis Principum, Procerum & doctorum hominum congressibus de præcipuis doctrinæ nostræ articulis copiosè & doctè verba facientem audiuissent, videri possent quidam potius assentandi studio, quàm veritatis amore, tam honorifico eulogio ipsum celebrasse. De qua re qui subdubitant, hos vt præfationem in cantica ecclesiæ germanica ab ipso conscriptam inspiciant moneo: quod cum fecerint, spero fore, vt multum iudicij de rebus theologicis & singularem sacrorum dogmatum thesaurum in hoc homine reconditum fuisse vnà mecum confiteantur. Hoc nemini mirum videri debet: nunquam enim tam fuit occupatus toto administrationis suæ tempore, quin cancionibus, lectiunculis & auditionibus sacris aliquot horulas traderet. Sic assiduitate quotidiana & diligentia legendi, discendi & audiendi res sacras, semper aliquid priori scientiæ adiecit, eam auxit, & senile iudicium magis confirmauit. Idcirco controuersias de religione his temporibus tam alibi, quàm in Marchiæ ecclesijs motas rectissimè intellexit: multas quoque attente & patienter auditas inter suos, vel solus, vel cum paucis

compofuit

composuit & sedauit. Neq; vllis concionibus & scriptis vehementius offendebatur, quàm quibus audiebat nimium viribus humanis, & operum iustitiæ tribui: solebat dicere se tales decantationes semper habere suspectas: & vereri ne quid puritati articuli de iustificatione hominis, sola Dei gratia in fide consequenda, affingatur: isq; commentis hominum contaminatus & labefactatus magnam secum ruinam trahat, ingentem errorum syluam pariat, & ad nouas Idolatrias Romano Pontifici, eiusq; asseclis ianuam aperiat: pro eo capite sæpenumero coram legatis pontificijs, & apud eos, quibus parum grata putabatur dicere, tanquàm pro aris & focis pugauit: inq; eo tuendo, retinendoq; ne Cæsarum quidem duorum voluntatibus & gratiæ quicquam dare voluit.

Sacramentorum quoq; genuinum & verum vsum suis ecclesijs restituit: & doctrinam de duabus inChristo naturis, eiusquè beneficijs & meritis omnino saluam & sanctam voluit esse. Interdum in anabaptistas & Sacramentarios ita accendebatur, vt duriora & asperiora, quàm natura soleret, in eos verba diceret.

Ecclesiasticis quidem ritibus & ceremoniarum varietate atq; pompa multum delectabatur: & omnia in templo miro ornatu & grauitate fieri volebat: quod singulari eius affectioni, & à pueris assuefactioni potius, quàm vlli inscitiæ, aut impietati est adscribendum. Nam ceremoniarum vsus, rerum adiaphorarum

rarum discrimina & fines optime nôrat, & quantum illis tribuendum sit, & in quos vsus sint retinendæ, apud doctos non rarò disputare solitus fuit. Sæpe quidam in templum eius augustissimum ingredientes, multitudine ceremoniarum, & ingentibus clamoribus offendebantur: sed cum bonitatem & puritatem veterum cantionum audirent, æquiores erga tanti herois institutum reddebantur. Omnia enim cantica diligenti studio & accurata censura ad Dei verbum per doctos viros emendanda curauerat: neq; in illis quicquam animaduertebatur, quod cum veritatis sanctitate, aut scripturæ sanitate pugnaret, aut vllam impietatem & Idolatriam videretur iuuare, aut alere posse.

Eo quoq; tempore, quo liber Augustanus, quem postea quidam Interim appellarunt, dabatur in publicum, visus fuit aliquid in Imperatoris & Pontificis Romani gratiam fecisse: sed si quid tunc ab ipso pro tempore dictum, receptum aut factum est, id arcano consilio, & vt multi quoq; iudicant, tuendæ cōmunis pacis causa factum esse credo: & euetus postea docuit, eum noluisse articulorum Christianæ fidei, sanæq; doctrinæ veritatem, autoritatemq; imminuere, aut conscientiæ iudicio repugnante labefactare: sed tantum ceremonijs quibusdam recipiendis, quæ citra periculum & discrimen salutis animarum seruari possent, exasperatos primatum & Monarcharum animos publici commodi causa voluisse placare. Etsi enim rumor de illo libro recepto & mādato passim spargebatur: nobis tamen in Marchia salua mansit ordinatio, cuius ante me-

C mini,

mini, multò ante Germanicum bellum ſcripta, approbataq́ꝫ: & ab ea ne hodie quidem in eccleſijs pulchrè conſtitutis receditur. Idcirco cum totius doctrinæ & ſacramentorum vſus integer & rectus ſemper nobis manſerit, moderata excuſatione potius, Princeps ſapiens & pius honorandus, quàm dura accuſatione & criminatione eius cauſa petendus fuit. Eſt enim magnæ ſapientiæ ita moderatè & cautè cum Euangelij hoſtibus agere: ita in leuioribus quibusdam cedere, vt bona tamen cum venia verbi diuini dogmata ſalua et inuiolata retineas, et falſò dicaris veritatis confeſsionem abieciſſe. Hæc omnia argumento nobis firmiſsimo ſunt, eum ſanctæ doctrinæ eximiam Imbuiſſe notitiam, ſtrennuum eius defenſorem fuiſſe, & in confeſsionis caſu nihil indignum Chriſtiano Principe admiſiſse.

Præter ſacrarum quoq́ꝫ rerum cognitionem non fuit penitus ſcientiæ Iuris ignarus: ac quamuis non omnes Iuriſconſultorũ diſputationes intelligeret, easq́ꝫ potius ad ſcholas, quàm ad forum & aulam adferendas eſſe putaret: ea tamen fuit eruditione, prudentia, & ingenij acumine, vt quid in præcipuis controuerſijs æquum & iuſtum ſit, & ad gubernationis æquabilitatem faciat, non ignorârit: Ad obſcurarum quoq́ꝫ cauſarum explicationem doctorum Iuris, quorum multos in aula & Academia liberaliſsime fouebat, opera & conſilijs vtebatur.

Mathematicas diſciplinas magnifaciebat: doctrina mo-

na motuum cœlestium & siderum monstratione multum delectabatur: cosmographicas tabulas magno comparatas sæpe inspiciebat: & artificum instrumenta, sphæras, automata, artificiosaque horologia omnes cœlestium partium motus signorumque ortus & occasus indicantia, sibi conficienda curabat: & in hos vsus Mathematicos excellentes semper aluit liberaliter, & amanter habuit. Sciebat astris vim quandam & efficatiam in mundum inferiorem inesse: sed non ita superstitiosè de illis sentiebat, ut eorum effectiones necessarias & immutabiles esse crederet. Sciebat remedia multa certorum morborum, quæ etiam cum principibus alijs interdum communicabat: quamuis arti medicæ eiusque doctoribus suum quoque locum & honorem tribueret.

Omitto artes quasdam abstrusiores, quamuis ex physicis principijs extructas, quas nimis quàm curiose ad tempus, & tamen non tanto cum fructu, quanta expectationis & cognitionis suauitate exercebat.

Loquebatur ipse quoque satis latinè, & libenter audiebat eos, qui facili, latino, simplici & perspicuo orationis genere vtebantur: & videbatur aspernari putidas, barbaras, obscuras & affectatè compositas quorundam orationes: quales constat superiori ætate Iurisconsultorum & Medicorum fuisse: qui sæpe res bonas nouo & fœdo sermone mirifice deformabant & obscurabant. In vernacula autem lingua disertissimo patre non erat inferior: & quo de grauioribus ne-

gotijs verba faciebat: hoc copiosius ipsius fluebat oratio, plena optimarum sententiarum, et selectissimorum verborum, mire composita, & nostræ linguæ præcipuis ornamentis & luminibus illustrata. Accedebat ad pronuntiationem singularis heroicæ personæ grauitas, gestus & motus corporis valde commendantes & ornantes actionem: vt omnium optime norunt, qui ipsum coram Imperatore, principibus viris, & ipsius subditis dicentem audiuerunt.

Quid de alijs eius præclarissimis virtutibus dicam? quæ longe fuerunt plures, quam vt orationis meæ tenuitate non dicam exornari, sed ne comemorando quidem explicari possint. Inter diuinas illas dignitatis & commendationis primas ferunt partes memorabilis eius sapientia, iustitia, fortitudo, clementia, moderatio animi, & singularis benignitas, vt de iudicij eius dexteritate, & memoriæ summa vi nihil addam: Hæc in ipso ita eminuisse dicuntur, vt cum præstantissimis veterum & felicissimis heroibus recte conferri potuerit. Fuit inter omnes totius Imperij Romani, & vicinorum regnorum Monarchas atque Septemuiros hoc tempore natu maximus: & administrationem dignitatemque Electoratus diutius cæteris omnibus, quos reliquit decedens, retinuit. Propterea iam tres Imperatores, peregrini reges, Septemuiri omnes, & præcipui Principes sapientiam & dona eius admirabantur & suspiciebant: ab ipso in maximis difficultatibus & grauissimis negotijs auxilia, consiliaque petebant: quæ pro summa humanitate, & amore salutis imperij libentissime

tiſsime fideliſsimeq́ꝫ, rebus omnibus diu deliberatis, cum ipſis communicabat. Hæc enim opinio certa erat: hæcq́ꝫ perſuaſio multorum animis inſederat, neminem in Imperij Romani amplitudine haberi virum principem, cui hiſtoriæ, acta, ordinationes, decreta, ceremoniæ, ritus et negotia Imperij eſſent notiora: cuiusquè cōſilia longo rerum vſu confirmata, magis fidelia & ſalubria eſſe, plusq́ꝫ ſinceritatis, veritatis, ponderis & autoritatis viderentur habere. Ea de cauſa ad vnū omnes non ſolum ipſi multum tribuebāt, ſed etiam, vt prudentiſsimum virum conſulebant atq́ꝫ venerabantur: hoc etiam vt perpetuò faceret, & vt ſine eius conſilijs nihil in Imperio ſuſciperet, Imperator Ferdinandus noſtrum Maximilianum ſedulo, diligenterquè monuiſse & rogaſſe narratur.

Docetur in ſermonibus eccleſiæ, magiſtratum eſſe vtriusq́ꝫ tabulæ defenſorem. Ad eius namq́ꝫ officium pertinet prohibitio blasphemiarum, idolatriæ, manifeſti contemptus verbi Dei & religionis: In eodem requiritur, vt homicidia, adulteria, furta, mendacia & iniuſtam vim prohibeat, ac ſeuere puniat: de illis leges rectè latas tueatur, vel etiam neceſſarias ipſe ferat & promulget: Noſter ergo Princeps tantus fuit iuſtitiæ amator, vt nulla re magis ſit offenſus, quàm maliciofis, petulantibus & atrocibus iniurijs: & eos, qui iniuſtam vim paterentur, omni cura & opera vindicandos eſſe cenſuerit. Ideo rectas leges religioſe coluit: cognitionibus cauſarum ſæpe interfuit: & de iuſtitia cuiq́ꝫ adminiſtranda, & de ſceleratis ad legum

normam puniendis, tuendæ publicæ pacis & tranquil-litatis causa, præfectos, consiliarios atq; iudices suos sæpe fideliter exhortatus est. Etsi autem natura erat à crudelitate alienus, nihilquè tyrannicè agebat vnquã: exemplis tamen & pœnarum grauitate opus esse intelligebat: Ita ius dicebat, ita iustitiam & pœnas exequebatur, vt semper tamen meminerit, se hominem esse, & clementiam atq; misericordiam in humano generè maiorem semper meruisse laudẽ, quàm ius summum, nimiamquẽ seueritatem. Idcirco non difficulter supplicibus precibus ad benignitatem & æquitatem etiam in magnis lapsibus flectebatur: & nihil æq; in votis habebat, quàm vt subditorum summa esset innocentia, & cum tota Marchiæ Republica benè & feliciter ageretur.

Nullum esse preciosius bonum in hac hominum societate et conuictu pace, ac quieto, tranquilloquè inter ciues statu, optime sciebat: quòd in pace populus de religione doceri, liberi recte honesteque educari, et omnia vel priuata vel publica negotia rectè vtiliterq; geri posint: discordiæ uero & bella plurima commoda impediant & ingentia mala secum attrahant: ea re deliberationes, consilia, dicta & facta sua eò potissimum referebat, vt pacata Germania & Marchia nostra singuli res suas obirẽt, & officia siue ecclesiastica, siue politica, vel etiam œconomica rectè tutoquè facerent. Ac si qua videbantur impendere pericula, vel eiusmodi conatus & casus, qui harum regionum pacem dicebantur turbaturi: ea mala partim prudenti-

bus

bus consilijs, partim petitionibus & comminationibus auertebat. Interdum quoque ad expeditionem euocabat suos, vt vel iniuriam passis opem ferret, vel suis vim facientes, vel iniustis rationibus in alienas possessiones inuolantes, si verbis & comminationibus non darent locum, armis depelleret. Maluit interdum ad quædam quantulacunque incomoda conniuere, eaque moderate ferre, quàm mouendo bello maiorem rerum iacturam facere & pericula accersere: quibus rationibus hoc ipsum effecisse & consecutum esse nouimus, vt non solum Marchia lætetur, se in multos annos nulla vidisse bella: sed etiam hoc nomine benignitati Dei, & Principum suorum sapientiæ, & virtutibus æternas se debere gratias profiteatur. Ipse quoque non tantum inter suos perpetuæ pacis autor et defensor fuit: sed etiã si qua inter Reges & Principes dissidia oriebantur, quæ ipsos ad perniciosa arma impulsura essent, nemo prior ipso maturius, & magis anxio solicitoque animo de reconciliatione, & pacis conditionibus cogitabat. Videbat enim uere dictum esse communi voce, propter vicinum malum aliquod aliud malum esse timendum: & bellorum incommoda latissime promanare: Ac tanta cum grauitate & autoritate rem agebat sæpe, vt salutaribus consilijs offensos, accensosque principũ animos facile placaret: sæpe etiã re ita postulante, comminationes rationibus admisceret, diceretque se quoque illius fore hostem, qui æquas conditiones non esset admissurus: sic sane iniqua & iniusta bella facientes odio prosequendos: iusta autem & legitima suscipientes iuuandos quidem censebat, vt tamen pri-

ma

ma præcipuaquè cura faciendæ confirmandæque pacis haberetur. Non fuit ipse infelix pacificator: & hoc nomen honorificũ improbiores milites cum pace constituta dimitterentur, se quasi vindicantes, ipsi vt vitium obijcere solebant. Neq; ei quicquam ingratius accidit, quàm quòd suæ gubernationis tempore, tristia quædam bella Germaniam mirifice concutientia eiusquè robur labefactantia viderit. Duo illa, quorum alterum à Carolo Imperatore in superiore Germania, alterum non multò ante in Belgico gestum fuit: vt de his quæ postea in Saxonia, Belgis & Gallijs infeliciter mota sunt, nihil referam: illa inquam duo valde ipsius animum affligebant: norunt familiares eius gemitus, vota & preces: norunt curiosas percunctationes: norunt consilia vtrisq; bellatoribus de pace data: ac nihil æq; excruciauit ipsum, quàm quod animaduerteret suas monitiones, contentiones & consilia negligi contemniquè. Quamquam ne tunc quidem quieuit: Nam confecto propè bello in victore mitigando, & ad benignitatem conuertendo, & in principibus victis conseruandis, quod boni esset principis & amici officium sedulo fideliterquè fecit.

Magno ipsum fortiquè animo, tam ad domesticas, quàm bellicas difficultates & calamitates sustinendas perferendasquè, fuisse argumẽto nobis sunt acerbissima mala, quæ ipsi humanitus toto vitæ et administrationis tempore acciderũt: quæ tam alto, firmoquè tulit animo, vt diuina potius ipsum virtute regi, quàm humanæ mentis robore niti fulciriquè multi censuerint.

rint. Amisit priorem coniugem, nobilissimā Dominā Ducis Saxoniæ Georgij filiā, viuo vtriusq; adhuc patre: reginam vxorē alteram cum aduersa valetudine et morbis uariè conflictantem in multos annos habuit: fuerunt ei duo clarissimi heroes filij Fridericus & Sigismundus: horum vtrunq; altissimo loco natum, ad sum̄os honores et amplissimas dignitates admouerat, & eorum felicitate suæ quoq; bonam partem metiebatur: sed Fridericum primùm summa pietate & verè heroicis virtutibus principem, florente ætate, mors immatura patri & nobis omnibus ademit. Huic postea cum in eadem dignitate Sigismundus frater consanguineus successisset, deq; eo iam virtutibus cresc ēte, omnes boni optima sibi pollicerētur, & quod in priori filio amissum esset, in hoc sibi benigniter reparatum & redditum esse afflictissimus pater arbitraretur, hunc quoq; inopinata & sæua mors à nobis auulsit, & dolores nostros duplicauit, Quo tu credis tunc Principem nostrum, maritum & senem patrem animo fuisse? dices afflictissimo. Sed uere spiritus domini in tot casibus robur ipsi addidit singulare & admirandum. Est quidem post sensum iræ Dei nullus dolor acerbior, quàm qui ex coniugum carissimarum & præclarorum liberorum morbis & obitu contingit: sed is fortiter patiēter & sapienter tulit hæc omnia mala, vicitq; maximos dolores: neq; vnquam voluit committere, vt vel hoc nomine Deo irasci, vel impatientia fractus indignum aliquid Christiano Principe dixisse, egisseq; diceretur: ac rectè iudicauit, iustæ Dei voluntati reuerenter esse parendum: & se ab

gis quoq; mitigationem pœnæ, & condonationem delictorum petiuit à Deo, quàm vt propter tristissimos hos casus ab eo vel indignans deficeret, vel alia parum licita inconcessaq; remedia quæreret De bellica eius fortitudine et virtutibus Imperatorijs docent nos quædam ipsius memorabilia facta. Constat enim ipsum anno tricesimo secundo exercitum in Austriam duxisse, ibiq; feliciter cum Turcis prælio dimicasse. Parua enim tunc manu; captata occasione aliquot millia hostium vicit, fudit & prostrauit: quam victoriam etiam pulli recens exclusi Berlino ipsi egredienti prædixisse, & cantu claro quasi gratulati esse dicũtur: ipse quoq; victor postea honore auratorũ Equitũ est ornatus. Anno quadragesimo secundo suscipiebatur aduersus Turcam bellum commune & publicum ab Imperio: & Princeps noster ob nominis celebritatem priori victoria partam, & multorum de eius fortitudine constantem famam creabatur Imperator: qua in expeditione, etsi memorabiles pugnæ non sunt commissæ: vis tamen hostium repressa est, & ab eorum irruptionibus Austria defensa. Gessisset autem res longe maximas, dante Deo, si Principes quidam promissas pecunias, comeatus & subsidia in tempore ei misissent: & non potius suas copias & neruos ad intestinum bellum conuertissent; quibus cum destitueretur, & hosti par esse non posset, re infecta ex Austria discedere coactus fuit. Quæ res adeo nullum Principi nostro dedecus peperit: vt excusatio eius, grauissimaq; querela à Romanorum Imperatore accepta probataq; sit, & insperati euentus culpa in paucorum inuidiã, maleuolentiã & improbos conatus sit reiecta.

Negari non potest, ipsum sua quaedam habuisse vitia: sunt enim non raro magni magnorum virorum lapsus: Sed ea fuerunt eiusmodi, vt quidem non excusentur, sed ingenti virtutum aliarum cumulo & splendore obruantur obscurenturq;. Commemoraui hactenus praecipua eius ornamenta: sed occurrunt & mentem meam subeunt adhuc plura alia, quae orationis meae & breuitate & tenuitate iam comprehendi non possunt. Destituerer equidem tempore si de illis prolixiore oratione vti vellem. Quis nescit ipsum magnificentiam suam in profectionibus, sumptibus comitiorum, muneribus, aedificijs & substructionibus saepenumero Germaniae conspiciendam praebuisse? Non est ignota ipsius liberalitas in viros doctos & de sua gente & aula praeclarè meritos: beneficentia erga familiares et ministros: haec fuit tanta, vt ea quibusdam videatur modum excessisse: sed maluit beneficentissimus Princeps dando peccare, quàm sordicie & parcitate illustrem familiam et heroicam maiestatem deformare. Omitto comitatem in sermone, facilitatem in audiendis subditis & notis, grauitatem mirabili lenitate erga domesticos mixtam, quos vel nimia largitione superbos, vel nimia familiaritate sui contemptores reddere noluit. Amanter obseruabat eos, & benigniter tractabat, & inuitissime à se dimittebat, in quibus aliquid ingenij, doctrinae et probitatis animaduertebat: & quorum fidem atq; constantiam multis annis cognitam & exploratam habebat: & cum quibus ab ineunte aetate vixerat. Ac cũ sciret plerosq; hos in aliam migrasse vitam, facile intelligebat, se ab illo termi

exercitijs externis corporis, quibus annis prioribus nimium studuerat, iam minus firmo robore, multum remittebat, & animo ad sublimiores cogitationes ferebatur: & amabat illa ecclesiastica studia auditionis, lectionis & meditationis rerum sacrarũ, quibus ad iter illud, quod breui ingressurus esset, sese præpararet.

Meministis pleriq; omnes, quæ anno superiori in celeberrimo conuentu de quodam religionis negotio indicto, Coloniæ ad Spream sint acta, dictaq;. Tunc enim in splendido consessu filij & nepotis, procerum Marchiæ, & præcipuorum uerbi Dei ministrorum, cum theologos suos & ecclesiarũ doctores prolixè de certis doctrinæ capitibus disserẽtes attentè audiuisset, cœpit ipse quoq; fidei suæ simplicem & perspicuam confessionem edere, & ita copiosè eruditeq;, vt facile cognitum sit, ipsum de articulis præcipuis piè rectèq; sentire. Addebat se ita, vt esset confessus ex animo credere: neq; vnquàm sententiam piam & verbo Dei consentaneam mutaturum aut abiecturum esse, inq; ea fide saluum fore. Rogabat quoq; ministros omnes, si forte iam senex subito morbo correptus extinguere tur, aut alio casu à confessionis suæ repetitione impediretur, vt suæ huius fidei coram ecclesia Dei perpetui testes & laudatores esse non grauarentur. Ac certum est, eum rectas et sanas sententias de iustificationis nostræ articulo, de beneficijs & meritis Christi, de vnione naturarum duarum in Christo hypostatica, de uera sacramentorum essentia & vsu, deq; alijs fidei ecclesiæ capitibus, et cognitione comprehensas habuisse & firmiter retinuisse. Ab eo enim tempore quauis oblata occasione frequentius cum theologis & familiaribus

aribus suis de rebus sacris, quàm negotijs politicis collocutus est & disputauit: Inprimis vero per festos illos dies, quibus nuper cœtus christiani Natalitia Saluatoris nostri, solenni more, religioseq; celebrarunt: Tunc enim primum ad sacram cœnam nocte accessit. postea quòd Deo iam esset reconciliatus, reliquos dies hilari mente cũ consiliarijs et domesticis peregit: inde propter quædam negotia in vicinam arcem Copenicum expatiatus: eumq; mox Princeps Ioannes Georgius cum aliquot consiliarijs est secutus: vbi postridie calẽdas Ianuarij in cœna sua vltima fertur cygnea cantione plurima doctrinæ nostræ capita, & euangeliorũ vsitatorum, quæ tum ei ex more prælecta sunt, eximia loca ad verbum repetiuisse & explicasse: de Christi beneficijs, de eius baptismo, circũcisione, cruce, & de certitudine consequendæ salutis, magno animi motu, cum omnium circumstantium & assidentium admiratione disseruisse: omniaq; illa merita & facta Christi sibi, quàmuis peccatori, ita applicasse, vt dixerit, se adeo nihil de sua salute dubitare, vt sciat quoq; se cum Christo peccati, mortis & inferni beatum victorem esse. Sunt quoq; testes omni exceptione maiores, qui constanter referunt, ipsum hos diuinos sermones suos in multam noctem protraxisse: et tandem illis quasi præsentientem finem, cum ad lectulum esset ductus, indormiuisse, quasiq; immortuũ esse. Nam vt illi narrant, cum non multo diutius hora vna aut altera dormiuisset, se magno dolore debilitari est cõquestus: alijs vero ministris trepidantibus et consiliarios accersentibus: alijs remedia absentibus medicis, frustra fla-

morbus: & mox cum graui tussi correptum, vomentemq; corporis & animi vires defecerũt et deseruerũt: sed interrogante quodam ipsum in illo agone, vellet ne in fide Christi decedere, voluntatis & fidei suæ quàmuis impedita pronunciatione gargarizans tamen & affirmationis voculam bis vi exprimens, & alijs gestibus manifesta signa edidit: & ita inter manus familiarium sub horam quintam mane tertio die Ianuarij expirauit, ætate iam exacta: si enim adhuc dies paucos vixisset, compleuisset annum Sexagesimum sextum.

Hæc cum ita se habeant, quis neget animam eius felici migratione in æternam vitam & sanctorum Dei consuetudinem translatam esse? vt uero de ipso aliter iudicemus certe causas habemus nullas. Innumeræ autem sunt causæ aliæ, quæ vt patris & Principis nostri, viri sapientis, boni & benefici obitum deploremus, meritò nos commoneant, commoueantq;. Nam quis est quæso, qui mortem eius æquo animo possit ferre? Habent sanè Imperator Maximilianus, Rex Polonicus affinis, Principes Imperij Romani causas non leues dolendi atq; lugendi, qui iam illo destituti sunt, qui consiliorum Imperij dux fuit, & sine quo nihil vtiliter & sapienter constitui & agi potuit. Suam quoq; orbitatem & casum vt initio dixi, merito deplorat coniunx misera: rectè lamentantur & eiulant filiæ: mœret & anxius est filius: in luctu maximo sunt nepos & frater: dolore conficiuntur ciuitates: squalent senatores: afflictantur familiares: dolent ministri: et nemo est qui nõ lachrymis mœrorẽ suũ testetur, & cõqueratur se bono, quod recuperari non possit priuatũ esse. Verum quid prosunt nimij fletus? aut quid proficimus, si nos de-

nos deiectis animis in ſqualore & perpetuo luctu incedimus? Meminerimus etiam his ponendum eſſe modum, et erigamus nos potius: ſtatuamus voluntate & conſilio Dei hunc Ducem nobis ademptum, & talem miſeriam peccata noſtra iam pridem meruiſse. Sinamus itaqꝫ defuncti manes in Dei benignitate quieſcere: & nos ita geramus, vt & eius voluntatem & factũ probare, & mortuo felicitatem diſceſſus huius nõ inuidere videamur. Precemur potius à benigniſsimo patre per Chriſtum, vt ipſe reſpiciat ad nos: afficiatur calamitatibus noſtris: conſoletur nos: ſuſcipiat eccleſiarum, ſcholarum, omnium ordinũ & totius Marchiæ fidelem & uerè paternam curam: largiatur quoqꝫ nobis, vt emendemus nos, & ad ipſius voluntatem nos totos ſubmiſſe componamus: regat pro ſua immenſa miſericordia Illuſtriſsimum noſtrum principem, ducẽ & gubernatorem futurum: adiungat ei Spiritum ſuũ, eoqꝫ uerè inungat eum: inſtruat ſapientia, pietate, iuſticia, alijs auitis atqꝫ paternis virtutibus, vt animo beneuolo has regiones cõplectatur: ſit ſtrennuus protector doctrinæ ſanctæ, & receptorum piorumqꝫ cultuum: tueatur atqꝫ ornet eccleſias, ſcholas, & hanc noſtrã Academiam: ſumat ueram ſubditorum defenſionem, & conſeruet pacem in his regionibus diu iam florentem, & quaſi per manus acceptam. Rogemus deniqꝫ, vt æternus Deus ſit cuſtos Marchiæ: imminentia pericula, maláqꝫ, quæ nobis, totiqꝫ Germaniæ triſtem ruinam cõminantur, aut auertat, aut ſi qua accident mitiget, vt in pace, tranquilloqꝫ ſtatu liberos noſtros piè educare, opera pietatis facere, & ipſi dignos cultus, deo